



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§.12. Infinita Dei ad ignoscendum clementia, qua boni vtuntur, mali  
abutuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

Quis credat, talem linguam fuisse sanguine Christi irrigatam? In ore gerunt Redemptorem, corde præferunt meretricem, quam oculis intuentur. Hinc eò proceditur, vt tandem sacrosancta hostia ex ore exempta, vel Iudæis vendatur, conuulneranda, vel furæ insuatur, aut veneficorum artificio vertatur in vnguentum sagarum, maximis spurcitijs inquinata.

**XII.**  
**INFINITA**  
**DEI AD**  
**IGNOS-**  
**CENDVM**  
**CLEMEN-**  
**TIA, QVA**  
**BONI**  
**VTVNTVR,**  
**MALIAEV-**  
**TVNTVR.**

**Matt. 18.**  
**22.**

**Rom. 2. 4.**

Videtis extremam hominum malitiam? populatione, cædibus, bellis, immo Inferno dignam? & si fieri posset, meritam, vt mille Inferni inter se necerentur. Hanc omnem malitiam Deus ab æterno præuidit, & tamen adeò infinita est eius bonitas & misericordia, vt quasi non videret, hominem nihilominus conderet, ei hæc ipsa sacramenta offerret, quæ illi, etiam post hæc omnia enarrata, in remedium salutis essent. Nimirum adeò est clemens, vt cum voluerit homines sibi inuicem in die, non solum vsque septies, sed etiam vsque *septuagies septies*, hoc est, sine numero & sine, ignoscere, multò id ipse vellet magis præstare, vt nos ad penitentiam adducat. Inter homines nihil est difficilius, quàm vel leuem iniuriam lædenti ignoscere: opus autem

tem

tem hoc Dei est, vt grauissima ignoscat,  
& citò, & facile: *Misereris omnium, quia Sap 11.24*  
*omnia potes, & dissimulas peccata hominum*  
*propter pœnitentiam. Diligis enim omnia, quæ*  
*sunt. Parcis autem omnibus (etiam qui in*  
*Inferno citra condignum puniuntur) Quo-*  
*niam tua sunt, Domine, qui amas animas.* Hæc  
malos faciunt peiores, dum cogitant: Si  
ita est, pergam peccare, quia habemus mi-  
sericordem Dominum, & sic in misericor-  
diam offendunt, quia cæci sunt, & de spinis  
vvas volunt colligere: eos autem, qui no-  
runt æstimare virtutem, à peccato poten-  
ter abducunt dicentes, Indignum esse, vt  
tanta bonitas offendatur, quæ utiq; aman-  
da est, quia amabilis est, & non sine incre-  
dibili iniuria læditur. Quare in lachrymas  
prorumpunt, & pœnitentiam agunt. Mul-  
toq; id magis animat pios. Quisquis enim  
Petrum peccatorem tam desperatum videt,  
pro vno Rosario recitato, Mariæ auxilium  
tam citò, immò veniam ab ipso Christo  
obtinuisse; cogitat se, tot operibus bonis,  
in Congregatione, vel alibi, oblaris, non  
solum spem veniæ, sed etiam æterna præ-  
mia consecuturum. Quare & opera egregiè  
ardenterque exercet, & si in Sodalitate ad-

K

huc

huc nulla est, cum Petro, propria se in aliquam manu inscribit; æstimatque reuera magni, quod non flocci faciunt nisi desperati.

## C A P V T VI.

IN IUVENE CHIROGRAPHVM SVVM A MALO GENIO RECIPIENTE DOCETVR, NVLLVM ESSE TANTVM PECCATOREM, QVEM IMMENSA DEI POTENTIA NON POSSIT IN GRATIAM RECIPERE, SI VELIT AGERE POENITENTIAM.

I.  
MISERICORDIAM  
BY POTENTIAM  
DEI CRE-  
DENDAM  
ESSE POENITENTI.  
I. Reg. 22.  
f.

**D**AVID rex peccantis pariter, & poenitentis fuit exemplum, vt, ob ipsam dignitatis eminentiam, tantò conspectius esset, quidquid de eo legeretur, tantoque libentiùs, qui eum peccantem sunt secuti, etiam poenitentem sequerentur. Ad poenitentiam autem eum multa pertraxerunt, nimirum Gad Propheta, conscientia & fœditas peccati, misericordiae & iustitiae Domini; sed imprimis diuina bonitas, potestas, & clementia, quae eum in spem veniæ erexit. Hinc cum per poenitentiam